NOS RECTOR ET UNIVERSITAS CÆS. REG. FRANCISCEA LEOPOL. LECTURIS SALUTEM.

Laudabile imprimis majorum nostrorum institutum est, ut qui honestis studiis et artibus jam diu se dediderant, antequam ad vitae communis usum atque praxim sese conferant, antea omnia subeant rigorosa examina, ut debitum eruditionis suae testimonium legitimo acquirant modo. Cum itaque ornatissimus doctissimusque vir Dominus Mathaeus

DZIDOWSKI

30 kr. C. M.

Galicianus Jaslensis diligentem assiduamque jurisprudentiae multos annos operam navasset, atque jam ad exhibenda doctrinae suae specimina paratus esset, petiissetque a Nobis, ut ipsum titulo academico doctrinae suae conve-nienti ornaremus. Nos cum honestissimae aequissimaeque ipsius petitioni hac in parte deesse non possemus, ipsum primo per universam jurisprudentiam accurate examinavimus, ac deinde theses ex omnibus juris speciebus desumptas, publice adver-sus omnium opponere volentium, argumenta objectionesque tuentem audivimus. In quibus omnibus, cum praeclaram erudi-tionem suam ac juris peritiam abunde Nobis probasset, libenter contulimus petenti honorem, qui virtuti et honestis studiis debetur. Quapropter potestate ab Augustissimo Imperatore **Francisco Josepho I.** Nobis concessa eundem Dominum Mathaeum **Dzidowski** die secunda mensis Decembris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti Doctorem in jure pronuntia-vimus, ac declaravimus, dedimus ac damus ei potestatem cathedram doctoralem ascendendi, ac de jure respondendi, consultandi ceteraque exercendi, quae juris Doctores exercere solent. Tribuimus ei insuper privilegia omnia ac praerogativas, quaecunque ce-ro juris Doctori legibus vel consuetudine tribui solent. In quorum omnium fidem diploma hoc publicum majori Universitatis sigillo signatum nec non manu nostra subscriptum, ei dari curavimus.

Leopoli die tertia Decembris anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto.

Ignatius Lemoch
Philosophiae Doctor
Matheseos pub. ord. Professor
hoc tempore Rector
Universitatis.

Dr. Joannes Scholz
juris antiqui poloni, mercantilis
& cambialis & praxis civilis
judiciariae austriacae prof. publ. ord.
h. t. Prodecanus, promotor.

Dr. Eduardus Herbst
Philosophiae Juris et Juris poenalis
Professor publ. ord.; loco Notarii
facultatis Juridico-politicae.

NOS RECTOR ET UNIVERSITAS CÆS. REG. FRANCISCEA LEOPOL. LECTURIS SALUTEM.

Laudabile imprimis majorum nostrorum institutum est, ut qui honestis studiis et artibus jam diu se dediderant, antequam ad vitae communis usum atque praxim sese conferant, antea omnia subeant rigorosa examina, ut debitum eruditionis suae testimonium legitimo acquirant modo. Cum itaque ornatissimus doctissimusque vir Dominus Mathaeus

DZIDOWSKI

30 kr. C. M.

Galicianus Jaslensis diligentem assiduamque jurisprudentiae multos annos operam navasset, atque jam ad exhibenda doctrinae suae specimina paratus esset, petiissetque a Nobis, ut ipsum titulo academico doctrinae suae convenienti ornaremus. Nos cum honestissimae aequissimaeque ipsius petitioni hac in parte deesse non possemus, ipsum primo per universam jurisprudentiam accurate examinavimus, ac deinde theses ex omnibus juris speciebus desumptas, publice adversus omnium opponere volentium argumenta objectionesque tuentem audivimus. In quibus omnibus, cum praeclaram eruditionem suam ac juris peritiam abunde Nobis probasset, libenter contulimus petenti honorem, qui virtuti et honestis studiis debetur. Quapropter potestate ab Augustissimo Imperatore Francisco Josepho I. Nobis concessa eundem Dominum Mathaeum Dzidowski die secunda mensis Decembris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti Doctorem in jure pronuntiavimus, ac declaravimus, dedimus ac damus ei potestatem cathedram doctoralem ascendendi, ac de jure respondendi, consultandi caeteraque exercendi, quae juris Doctores exercere solent. Tribuimus ei insuper privilegia omnia ac praerogativas, quaecumque vero juris Doctori legibus vel consuetudine tribui solent. In quorum omnium fidem diploma hoc publicum majori Universitatis sigillo signatum nec non manu nostra subscriptum, ei dari curavimus.

Leopoli die tertia Decembris anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto.

Ignatius Lemoch
Philosophiae Doctor
Matheseos pub. ord. Professor
hoc tempore Rector
Universitatis.

Dr. Joannes Scholz
juris antiqui poloni, mercantilis
& cambialis & praxis civilis
judiciariae austriacae prof. publ. ord.
h. t. Prodecanus, promotor.

Dr. Eduardus Herbst
Philosophiae Juris et Juris poenalis
Professor publ. ord.; loco Notarii
facultatis Juridico-politicae.